



Mr. Michael Zeger

Supremò Feliciter Dirigente,
exinductu

*Plurimum-Reverenda, & Amplissima Facultatis
Theologica in Almâ Philureâ*

DISPUTATIONEM THEOLOGICAM
DE

JUSTIFICATIONE HOMINIS PECCATORIS

CORAM DEO,

sub Præsidiò

VIRI

*Admodum-Reverendi, Magnifici, atq; Am-
plissimi DN.*

HIERONYMI KROMAYERI,

S. S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Canonici Misnens. Col-
leg. Principum Maj. Collegiati, Acad. Decem-Viri,
Alumn. Elect. Ephori, & Facultat. Theolog.
p. t. Decani,

Præceptoris, ac Patroni honorandi,

H. L. Q. C.

ad diem XIX. Mai, A. E. C. cl. lre LXV.

placidæ Eruditorum ventilationi

publicè submittet

SAMUEL FRIDERICI, Dantisc,

A. & R.

LIPSIÆ,

Typis JOHANNES WITTIGAU.

Fr. H. Cla

1750

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through, but some words like "BRONN" and "L. P. 21 E." are visible.



Supremò Fortunante !

*DE JUSTIFICATIONE HOMINIS
PECCATORIS CORAM DEO.*

Prooemium.



Acropolin totius Doctrinæ Christianæ Tibi, B. L. sistimus. Nimirum hoc Fundamentum nostræ est Fidei, quo omnis nostra salus unicè ac solè nititur. Proponit enim unicum nostræ salutis autorem, Christum, Eiusque meritum & satisfactionem; atque ostendit solum organum ac medium, quo illud apprehendimus, nobisque applicamus, sc. Fidem. Variis autem viis ac modis Satanas, hostis Veritatis, per asseclas suos Arcem hanc aggressus est, ut Fidei hocce Fundamentum labefactaret, si non planè everteret. Sed, gratiâ DEI, stetit in Ecclesiâ hæctenus, & stabit porrò firma atque immota; nec portæ inferorum adversus eam sunt prævalituræ, Matth, XVI, 18. Quare operæ pretium credidi, si in tam nobili Argumentò vires periclitarer meas. Quòd si alicubi fortè aberravero, ignosces B. L. Quod E.

Sit Felix!

TH. I.

TRactationem ipsam statim aggredimur: quæ partim *Onomastologia* partim *Pragmatologia* absolvitur. Illa potissimum

A

mum

num JUSTIFICATIONIS Vocem evolvit; hæc autem totum JUSTIFICATIONIS negotium exponit.

TH. 2. Circa Nomen JUSTIFICATIONIS occurrit 1. *Etymologia*; deinde *Homonymia*. De quo cum non exigua lis nobis moveatur à Pontificiis, paucis illud videbimus.

TH. 3. Præsupponimus autem quòd Vox JUSTIFICATIONIS non ex *Etymologia Latina*, vel ex *vi Vocis*, aut *Compositionis* sit æstimanda; sed quòd ejus significatio genuina è solis Christianorum principis, & ex fontibus proprie sit petenda. Nam si illa foret attendenda, ut juxta *Analogiam aliarum vocum* JUSTIFICARE sit idem, quòd *justum facere*, nihil obstaret, quò minus *Autores profani* quoque de *significatione Vocis* judicium suum dare possent. Quare *Vocis JUSTIFICATIONIS significatio* non ex *physicis* vel *naturalibus*, nec ex *mechanicis*, vel *artificialibus mutationibus*, sed ex *hominis peccatoris ad DEUM relatione* est desumenda. Cum igitur homo peccator, ceu reus, *judicio Divino* sistatur, propter Christi meritum, verà fide apprehensum à peccatis absolvatur, & *Justitiæ Christi* imputatione gratis donetur, omninò forensis *Vocis* hujus *significationem* esse, statuimus.

TH. 4. Nam *variæ Vocis JUSTIFICATIONIS significatio-nes* in S. L. inveniuntur: quarum præcipuas tantùm hîc adducemus. Sumitur autem *Vocabulum JUSTIFICATIONIS* (1.) pro *judicii exercitiò* II. Sam. XV, 4. quò pertinet illud Matth. XI, 19. (2.) pro *justitiæ declaratione* Ps. LI, 9. Matth. XII, 37. Jacob. II, 21. 24. (3.) pro *verà ad justitiam promo. ione*, qua fit *informando ac instruendo* Dan. XII, 3. (4) pro *augmento in justitiâ acquirendo* Apoc. XXII, II. (5.) *sensu comparativo pro superatione in bono & malo* Ezech. XVI, 51. c. XXV, II. (6.) *sensu Pharisæico pro sanctitatis arrogantiâ* Luc. X, 29. c. XVI. 15. c. XIX. 9. (7.) pro *liberatione* Rom. VI. 7. (8.) denique *sensu forensi pro absolute ree quoad objecta crimina, & pro justis pronuntiatione*. Quo sensu accipitur Prov. XVII, 15. *Qui justificat impium, & condemnat justum &c.* Es. V, 23. *Vae, qui justificatis impium &c.* Rom. II, 33. *Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui justificat.* Conf. Exod. XXIII, 7. Deut. XXV, 1. Luc. XII, 14. Rom. V, 16. Ps. CXLIII, 2. Et hæc ultima significatio proprie huc pertinet.

TH. 5. P. obatur autem forensis hujus *Vocis significatio* respec-
tu

Et presentis *Articuli* (1.) *ex judicialis actus requisitis.* Recenset illa B. Mentzerus in Exeg. p. 166. Exprimit, inquit, Scriptura in hoc negotio *debitum* Matth. XII, 24. c. VI, 22. *peccatum* Rom. III, & IV. *reum*, nempe hominem *peccatorem* Ps. CXLIII. Rom. III, 4. Gal. III. *accusatorem*, nim. *legem* Rom. III. *testem*, *conscientiam* Rom. II. *chirographum* Col. II, 14. *tribunal Christi* Rom. XIV. 10. II. Cor. V, 10. *advocatum*, *Christum* I. Joh. II, 1. *judicem*, *Dominum* Joh. V, 27. Act. X, 42. c. XVII, 31. Matth. XXV, ubi vocatur *judicium*, & *processus judicialis* describitur. Facit etiam mentionem *gratia* & *miseri cordia*, & *absolutionis* sive *remissionis peccatorum* Psal. XXV, 6. 7. II. Ps. XXXII. I. Ps. CIII. & c. (2) *ex Oppositis*: quia Script. *Justificationi* non alia *contraria*, quam *judicialia* opponit; qualia sunt *accusare*, *condemnare* Rom. II, 33. *legare* Matth. XII, 18. Unde ipse Bellarm l. 2. de Justif c. 3. fateri cogitur, quod *Justificatio* rectè opponatur *condemnationi*; & quod *condemnatio*, quando Deo tribuitur, sit *actus judicis* deputantis ad *pœnam*, eum, qui in *judicio reus* inventus est. E. etiam *Justificatio*, quæ huic opponitur, Rom V, 16. c. II, 33 34. *judicis actum* denotabit; cum *opposita* sint ejusdem generis, adeoque *forenses significationem* habebit.

TH. 6. Notandum præterea, quod *Vox JUSTIFICATIONIS* ita sumatur vel respectu *Dei*, vel respectu *nostri*; vel *active*, vel *passive*, quomodo *forensis* vel *judicialis significationem* obtinet. *Priori* sensu significat *justificationis* vel *justificantis*. *Et m.* nim. *absolutionem* vel *actum* Dei, quatenus à peccatis *absolvit*; *posteriori* denotat *justificationis*, vel ipsius *justificati statum*, & designat *absolutionem*, quæ quis *absolvitur* à peccatis. vel *absolutionis receptionem*. Nos sensu posteriori *Vocabulum JUSTIFICATIONIS* impræsentiarum accipimus quemadmodum ex *additio* manifestè liquet, cum de *JUSTIFICATIONE Hominis peccatoris* Titulus inscribitur.

TH. 7. Porro hæc *JUSTIFICATIO* quoad *Nomen* distingui solet in *Primam* & *Secundam*. *Illa* est hominis prorsus corrupti, extra divinam gratiam & veram Ecclesiam constituti, *ante sui conversionem ac regenerationem*; hæc nihil aliud est, quam *continuus Justificationis cursus* hominis renati, & ad gratiam DEI conversi, quat. ipse ad vitam spiritualem per S. S. quotidie renovatur. Est igitur hæc *Distinctio Equivoci Analogi* in sua

Analogata, eum ista appellatio propriè, & primariò tantùm competat *Justificationi primæ*; *secunda* verò impropriè saltem ita vocetur. Similis ratio est, quando *Justificatio* illa *prima* iterùm à nonnullis distingvitur in eam, quæ fit *coram hominibus*, & nihil aliud est, quàm *externa Justificationis manifestatio*, quando catechumenus publicè coram Ecclesiâ ceu justificatus habetur, & pro verò Ecclesiæ membrò recipitur; & in eam, quæ fit *coram Deo*, & propriè est h.l. ut ex *Inscriptione* itidem patet.

TH. 8. Explicato *Nomine JUSTIFICATIONIS* sequitur jam ipsa *Pragmatologia*: quæ *Definitionem JUSTIFICATIONIS* proponit. Est autem *JUSTIFICATIO actio Dei*, quæ ex *miseriordia*, propter *Christi Salvatoris* *ἀποργυ* & *meritum*, *Homini peccatori* verè in *Christum credenti*, *gratis sine operibus peccata remittit*, & *justitiam Christi imputat*, eumq; *ad vitam æternam accipiat*.

TH. 9. *Genus Definitionis est Actio*: quia *Paulus* verbis *Activis* utitur, *justificare, salvare, peccata remittere &c.* Porro *Forma* seu *Differentia Specifica* partim *Justificationis causas*, partim *ejus adjuncta*, vel *circumstantias* proponit. *Causa* vulgò numerantur 4. *Efficiens, Materialis, Formalis & Finalis*. De singulis respectu *Justificationis* breviter videbimur.

TH. 10. *Causa efficiens* vel est *principalis*, vel *instrumentalis*. *Ille Deus est (1.)* quia *Justificatio est Actio*, vel *opus Dei*, sicut ex *vulgatâ* constat *descriptione Justificationis*: *opus* verò *Dei Deum ipsum*, ceu *causam principalem*, respicit. (2.) quia hæc *Justificatio* fit *coram Deo*, vel *judicio Dei*, ubi *solus Deus judex* est, *homines vel iustificans*, vel *condemnans*. Ubi *vocabulum Dei essentialiter*, quâ *tribus personis SS. Trinitatis* commune est, accipimus. Est enim *Justificatio opus Dei ad extrâ*, ita ut *sota SS. Trinitas* hominem iustificet, quanquam deinde *singulariter alteri personæ Deitatis*, ceu *Mediatori*, cujus *meritò & satisfactione* iustificamur, soleat adscribi. Errant igitur *Pontificii*, qui *Hominem* sese *propriis virib. naturalib.* ad *Justificationis gratiam* disponere & *preparare*, inque eâ aliquid cooperari posse *contrà S.L.* docent.

TH. 11. Hinc dupliciter iustificari dicimur, *gratia Dei*, tanquam *causa impulsiva*; & *propter meritum Christi*, velut *causam meritoriam*.

TH. 12. *Causa* igitur *efficiens procreans*, seu *impulsiva Justificationis nostræ* est *Gratia & misericordia Dei*, quæ in *hòc Articulo* defini-

tur

tur, quòd sit *gratuitus Dei favor* & *miserericordia*, quã nos inde ab *eterno* dilexit, & *præter omne nostrum meritum*, per *Filium suum* nos sibi *reconciliare*, & *salvare constituit*.

TH. 13. *Varia aliàs sunt Gratia significata*: significat enim (1.) *beneficium in genere* 2. Cor. I, 15. Proverb. IV, 9. (2.) *donum Dei* II. Cor. I, 12. Col. IV, 6. (3.) *consolationem* Eph. IV, 29. (4.) *spiritualem cultum Dei* Hebr. XIII, 9 (5.) *donum S. S.* Joh. I, 16. (6.) *eleemosynam* II. Cor. IX, 4. Quæ significationes h. l. sunt alienæ. *Gratia enim quæ, huc spectat, non est in Categoria Qualitatis*, quæ est *Virtus infusa*, nobis *inherens* (ut *Pontificii* volunt;) sed *Relationis*, seu ita comparata, ut in *Christo fundata*, & *fide apprehensa*, à *Deo incipiat*, & *terminetur ad hominem credentem*.

TH. 14. Non igitur *Gratia hæc absoluta est*, sed in *merito*, & *satisfactione Christi fundata*, quæ est *causa meritoria nostræ justificationis*. Est autem *Meritum Christi* tota illius *obedientia*, quã *legem implevit perfectissimè*, & *pœnas à nobis promeritas*, in *diebus carnis suæ*, præcipuè in *novissimo & solemnè actu passionis usq; ad mortem sustinuit*: In *Activam & passivam* vulgò *Obedientiam* hanc distinguunt: verum minus accuratè; quia & *obedientia activa passivam*; & *passiva activam* simul includit. Et hæc quidem *satisfactio* *Christo competit secundum utramq; Naturam*, tum *Divinam*, tum *Humanam*: quia, ut *infinite DEI Justitiæ* satisfaceret, requirebatur *infinite persona*, quæ illud nostrò locò præstare posset; cum verò non nisi per *passionem & mortem* placari ira *Divina* poterat, opus præterea erat, ut *Filius Dei Humanam Naturam* assumeret, quò ita pati ac mori posset.

TH. 15. *Instrumentalis causa Justificationis* alia ex parte *DEI*, nim. *Verbum & Sacramenta*, ὡς δοτικὴ, tanquam *exhibens*; alia ex parte *nostri*, nim. *Fides*, ἐὰν sola, ὡς ληπτικὴ, tanquam *accipiens*. Idque ex naturâ *Relatorum*: ubi enim est *oblatio*; ibi necesse est, ut sit *acceptatio*. De *ultimâ* hæc potissimùm inter *nos & Pontificios* solet *controverti*. Quare plenius de eâ nobis hîc agendum erit.

TH. 16. *Fidei* autem multa sunt significata. Sumitur enim (1.) *pro veritate & constantiâ promissionum* Ps. XXXIII, 4. & XXCVI, 15. Rom. III, 3. (2.) *pro fide Apostolicâ seu Evangelio* Rom. I, 5. Eph. IV, 5. I. Tim. I, 19. (3.) *pro externâ religione & fidei professione* Jac. II, 24. (4.) *pro persuasionè effectûs miraculosi*

I. Cor. XII, 9. (5.) pro *securitate libertatis* Rom. XII, 20. (6.) pro *nudâ historiae notitiâ*, quæ dicitur *fides historica* Jac. II, 19. Denique (7.) pro *fiduciali apprehensione promissionis gratiæ*, quæ dicitur *justificans*, quia per eam *solam* justificamur. *Hæc significatio est hujus loci propria*; reliquæ omnes sunt alienæ.

TH. 17. *Fides* igitur, quæ, hîc consideratur, nihil aliud est, quàm *certa & explorata fiducia de Christo, generis humani redemptore*, quâ quis Eum in verbo Evangelii sibi propositum & oblatum, tanquam suum pro se amplectitur, & confidit, quod propter Eum & in Eo gratis habeat remissionem peccatorum, & justus reputetur in judicio Dei, ac hæres eterne salutis.

TH. 18. Hinc in *Fide justificante* concurrunt tria: (1.) *mentis cognitio, intellectio seu notitia*. (2.) *assensio*. (3.) *apprehensio seu receptio voluntatis & cordis*: & ab hac parte *tertia* dicitur *speciatim* *πεποίθησις*, *persuasio & plena fiducia*, Rom. II, 38. Eph. III, 12. *πληροφροσύνη*, *certa animi de salute nostra persuasio* Rom. IV, 21. Coloss. II, 2. Hebr. VI, 11. *παρρησία*, *libertas, sine omni trepidatione misericordiam Divinam confidens*. Heb III, 6. I. Joh. II, 28. *ὑπόστασις*, *immixtum fundamentum*, & *ἔλεγχος*, *indubium argumentum*, quo credens certitudinis suæ convincitur, Heb. XI, 1. Quæ & alia soli & nudæ *notitiæ* seu *assensui* attribui minimè possunt, sed *indubitatam cordis fiduciam* arguunt.

TH. 19. Ubi nihil obstat, quod *Fides & fiducia* sint in diversis *Subiectis*, sc. *Fides* in *mente*, & *Fiducia* in *voluntate*, quod Pontificii objicere solent. Non enim est inconveniens unum *Habitum* ponere & in *ratione* & in *voluntate*. Sic & *Liberum Arbitrium*, & *Regeneratio* est in *mente* & *voluntate*. Quid? quod hæ facultates animæ *realiter* inter se non differant, sed unum & idem sint, licet *mente*, & *secundum rationem nostram*, ab invicem vulgò soleant distinguî.

TH. 20. Respectu verò *notitiæ & assensus* *Fides* pro *Objecto generali* habet *universam Scripturam*, quam verissimam esse credit: *ratione* *Fiducia speciale* seu *proprium* ejus *Objectum* est *misericordia Dei, in Christo Redemptore exhibita, & per Evangelium oblata*; vel quod idem est, *meritum Christi* in *promissione Evangelii oblatum*.

TH. 21. *Fides* igitur, quæ, *proprie* huc pertinet, & *justificat*, non consideratur, ut est in *Prædicamentò Quantitatis*, quæ, vel
magna

magna, vel parva, vel firma, vel infirma, quia *infirma fides* etiam *vera fides* est: nec ut est in *Prædicamentò Qualitatis*, quæ est *Habitus & Virtus aliqua spiritualis*, cum nulla in hærens *Qualitas* nos coram Deo justificare possit: nec ut est in *Prædicamento Actionis*, quæ *actum* credit, vel aliquid apprehendit, cum inter hunc *actum & Justificationis effectum* nulla penitus sit proportio: neque ut est in *Prædicamentò Passionis*, quæ sc. per Evangelium, vel auditum Verbi in cordibus fidelium excitatur Rom. X, 17. sed ut refertur ad *Prædicamentum Relationis*, quæ Christum cum omni suo merito firmiter apprehendit, à quo omnem vim suam & efficaciam accipit.

TH. 22. Quando autem SOLA *Fides* justificare dicitur, non excluduntur eo *Gratia Dei, vel Meritum Christi, aut Media doctrinæ, Verbum & Sacramenta*; sed tantummodo *opera nostra*, seu *anteecedentia, seu consequentia*, itemque *renovatio, sanctificatio, aliæque Virtutes*, tanquam *forma, aut pars, aut causa*, ab ipso *Justificationis actu* removentur à *justificandò*, sed non à *justificatò*, cui opera præstanda ad *gratitudinem & fidem* suam ostendendam.

TH. 23. Hanc *Exclusionem* probat *Fides & Operum immediata Oppositio*. Arbitramur justificari hominem per *Fidem, sine operibus legis* Rom. III, 28. Scimus, non justificari hominem ex *operibus legis*, *ἐὰν μὴ nisi per Fidem Jesu Christi* Gal. II, 16. Tum *particularum ἡμεῖς absque, & ἐὰν μὴ nisi*, *emphasis exclusivæ*, quæ, remotis aliis, unum solitariè statuitur. Tum denique nulla alia res est, quæ rem *justificam*, seu *Meritum Christi* hominibus appropriat, nisi *Fides*.

TH. 24. Quanquam autem *vera Fides* nunquam sine *B. O.* esse possit, quin semper eadem conjuncta secum habeat; non tamen propterea statim *B. O.* justificant. Non enim *quod adest*, statim etiam *causa* est: alioquin & Sol splendore suo calefaceret; nec *quæ conjuncta sunt*, eodem statim modo agunt. Sol splendore, non calore, illuminat. Par esto iudicium de *B. O.*

TH. 25. *Causa Materialis* seu *Subiectum Justificationis* est *Hommo*, non quæ in *statu integritatis* consideratur, aut in *statu glorificationis*; sed quæ est in *statu corruptionis, & peccator*, quemadmodum ex *Inscriptione præsentis Disputationis* constat. *Peccatores* autem non intelliguntur, *hi vel illi*, vel juxta decretum aliquod *Divinum absolute Electi*, sed in universum omnibus peccatoribus
gratia

gratia *Justificationis* offertur, nec ulli beneplacitò quodam Di-
vinò aufertur. Nam, teste Christo, Deus dilexit *totum Mundum*
Joh. III, 16. & omnes conclusit sub incredulitatem, ut omnium
misereretur Rom XI, 30. Deinde Agnus Dei, nim. Christus Jesus
suò meritò, teste Baptistâ, tollit peccata *totius Mundi* Joh. I, 29.
& est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem
tantùm, sed etiam pro *totius Mundi* peccatis I. Joh. II, 1. Omnibus
etiam patet *gratia vocationis*, quia Deus vult omnes salvos fieri,
& ad agnitionem veritatis pervenire I. Tim. II, 4. Christus ipse
sine discrimine vocat omnes Matth. XI, 28. Venite ad me omnes,
qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos.

TH. 26. *Forma Justificationis* partim *privativè*, partim *positi-
vè* effertur. *Privativè* per *Remissionem*, seu *Non-imputationem pec-
catorum*, Ps. XXXII, 1. 2. Beati, quorum remissa sunt iniquitates,
& quorum *tecta sunt peccata*: Beatus vir, cui non imputat Dominus
peccatum. Non igitur in *Justificatione* peccata penitus tolluntur
& *extirpantur* (quemadmodum *Pontificii* hîc contendunt); cum
non tantùm peccatorum *radix* etiam in *renatis* & *Justificatis* ma-
neat, sed etiam *Justificati* interdum *peccata mortalia* committant,
quemadmodum exempla Davidis, Petri &c. testantur. *Positivè*
verò per *donationem* & *imputationem Justitiae Christi*. Rom. III, 22.
Justitia Dei per fidem J. C. super omnes credentes. c. IV, 5. Ei,
qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, *im-
putatur fides ad justitiam*. Errant hîc iterum *Pontificii* dum per
propriam, & *inhesivam* *Justitiam* homines justificari acriter
dimicant.

TH. 27. Quemadmodum *autem Christo* *ἵνα ἡμεῖς* nostra
peccata *revera* imposita & imputata sunt; ita nobis vicissim *satis-
factio* & *Justitia Christi* per fidem *verè* ac *realiter* imputatur & ap-
propriatur. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis fecit pec-
catum, ut nos fieremus *justitia coram eo* II. Cor. V, 21. *Verè* languo-
res nostros ipse portavit: & livore ejus nos *verè* sanati sumus.
Jel. LIII, 4. 5. Non igitur hæc nostra *Justitia* est *putativa* tantùm
& *imaginaria*, quemadmodum *Pontificii* nobis fallò affingunt,
cum *Justitia Christi* *reverè* per *Fidem* fiat nostra *Justitia*, nobisque
communicetur & approprietur.

TH. 28. *Finis Justificationis* alius est respectu *Dei*, nim, *Gloria*
justi-

justitia, misericordia, & sapientia Ejus. Deus remittit peccata ad
ostensionem justitiae, ut ipse sit justus, & justificans eum, qui ex fide
est J. C. Rom. III, 26. *Commendat Deus charitatem suam erga nos,*
quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis
mortuus est. Multò igitur magis nunc justificati in sanguine
ipsius, salvi erimus ab irâ per ipsum. Rom. V, 8. Alius respectu
nostri, nim. pax conscientiae & consequenter eterna salus. Justi-
ficati per fidem pacem habemus cum Deo per Dominum nostrum
J. C. Rom. V, 1.

TH. 29. Haecenus de *causis,* nunc de *circumstantiis,* vel *Ad-
junctis Justificationis* breviter aliquid producemus. Est autem
Adjunctum (1.) Justificationis unitas. Eadem enim fuit *Justificatio* in
V. & N.T. eadem datur in *pueris & adultis,* eadem quoque datur in
principiò conversionis, & in *progressu vite Christianae,* nim. quæ fit
per *peccatorum Remissionem & Justitiae Christi imputationem.*

TH. 30. Alterum *Adjunctum* est *Justificationis certitudo,* quòd
Homo de Gratia Dei, suiq. Justificatione per fidem certus esse possit.

TH. 31. Probamus autem hanc *certitudinem* primùm à *con-
ditione promissionis,* quæ est infallibilis. Rom. IV, 16. Deinde ex
Oppositione Fidei & dubitationis. Postulet *fide, nihil hesitans.* Qui
enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur &
circumfertur. Jac. I, 6. Tum à *Fine S. Ministerii,* quod per usum
clavium, & dispensationem Sacramentorum conscientias cre-
dentium confirmat & obsignat. Quò pertinet *Testimonium S.S.*
quo tanquam pignore hæreditatis nostræ obsignati sumus in
redemptionem acquisitam Eph. I, 14. ut ita certi simus, quòd *neq.
mors, neq. vita &c. neq. alia ulla creatura nos separare possit à dilectio-
ne, quæ est in C. J.* Rom. IIX, 38.

Sancto Flamini Gloria!

Ad

*Eximium & Præstantissimum Dn. Re-
spondentem, autorem.*

CUM, FRIDRICE, sacrâ nove floscule nate Sione,
Multiplicas specimen, multiplicatur honos.

gratulus ex animo perscribebat

PRÆSES.

W Er Müß und Fleiß nicht spare / erstelget mit der Zeit
Der höchsten Ehren Thron. Ihn wird sein Ruhm
entfernen

Vom rauhen Erden Plan zum Gold bestammten Sternen/
Und Fama trägt ihn zur grauen Ewigkeit.

Wohl dir / mein Freund / es wird dir auch also ergehen
Daß deines Namens Bier wird ewig bleiben stehen.

Diese wenige / und eifertige Zeilen schrieb dem
Herrn Respondenten als seinem vielgeehr-
ten Herrn Tischgenossen zu schuldigen Eh-
ren und andeucken.

Christoph Heinrich Prettin Eq. Lus.

Q Vàm benè, si perges ? multò certissima spes est
Evadas SAMUEL nomine reque simul.

Hec

Contubernalis

Samuel Elias Fischer
LL. S.

E N D E.



VD 17

17

21 v

